

mum audit viduam illam, ne ipsam in novissimo die cum sugillare queat, seu de ipso conqueri aut famam ejus capere, quasi contra suam pro-missionem, oppressos non audierit. Itaque hæc parabola tollit omnem causam formidandi aut dubitandi de audiendis nostris precibus. Porro argumentum vitricis illius viduæ, Ecclesiæ, habemus, Act. XII. Ubi Petrus tenebatur vinctus in carcere, oratio autem flebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo. Et quid obtentum? Cum jam illucescente proximo die producturus eum est Herodes ad necem, in ipsa nocte mittitur angelus a Deo, qui dissolvit Petri catenas, eduxitque eum e carcere et constituit in tuto. Orabat ergo hæc vidua, quamdiu in carcere Petrus erat, nec audita fuit nisi extremo tempore, quo jam parabat gladium carnifex ad obtruncandum apostolum. Non ergo desperandum, etiam, cum res ad restim redit, de divina ope, si constanter oremus. Cæterum si orationi addamus alia bona opera, præsertim eleemosynam et jejunium, tanto efficacior fiet ad impetrandum. Per eleemosynam enim demulcemus regis aulicos, pauperes videlicet, ut regem nobis benevolum reddant; per jejunium movemus regem ad commiserationem, si pro ejus gratia captanda nos ipsos affligamus. Atque hæc sunt duæ illæ manus Elisæi, quas posuit super manum Joas regis, quem jacere sagittam jussit. Manus Joas sagittantis orationem deprecantis denotat, quæ adjuta a jejunio et eleemosyna quasi a duabus sanctis manibus non dubie tanget scopum, ad quem collimat, IV. Reg. XIII.

Atque hæc est, auditores, instructio legati, quem ad Deum mittere volumus et mittimus hoc tempore. Quæ si adsit nostro legato, penetrabit ille nubes et ad Deum appropinquabit, nec ab eo discedet, donec Altissimus eum aspiciat oculo benevolentis. Neque solum impetrabit ea quæ petimus, sed præterea obtinebit ut recte instituamus vitam nostram, Deoque per omnia placeamus. Non enim temere dixit S. Augustinus, hom. IV. et L. *Recte novit vivere, qui recte novit orare.*

CONCIO II.

QUID PRÆCIPUE PETENDUM IN ORATIONE.

I. Petenda fides velut piscis. — II. Petenda spes velut ovum. — III. Petenda charitas velut panis

THEMA.

Quis autem ex vobis patrem petit panem, numquid lapidem dabit illi? Luc. XI.

Diximus alibi orationem esse legatum nostrum, quem hisce præsertim diebus ad Deum aman-

damus, cumque necessariis rebus instruximus. Sed nondum ediximus quid legatus ille noster præterea Deo debeat. Fieri enim potest, et fit aliquoties ut noxia petamus, quæ si nobis dentur, ad inferitum dabuntur, quemadmodum et Israelitis carnes a Deo petentibus in deserto evenit, Num. XI. Etenim *adhuc esca eorum erant in ore ipsorum, et ira Dei ascendit super eos*, siquidem ignis involvit eos et locus inde vocatus est *sepulchra concupiscentiæ*. Ad hunc enim modum petunt multi multa sibi perquam noxia; laborant aliqui concupiscentia oculorum, petuntque divitias; et quid petunt nisi lapidem, cum iis ut plurimum non fruuntur, sed eas veluti lapides habeant? Alii concupiscentia carnis, et petunt delicias sibi et potus vel uxores, etc. et quid nisi scorpiones petunt, qui capite blandiuntur, cauda pungunt? Alii laborant superbia vitæ, et petunt honores ac dignitates: et quid nisi serpentes petunt qui eos inficiunt veneno peccatorum? Videamus igitur quid Christus doceat petendum nobis esse.

Tria petenda notantur in hodierno evangelio: piscis, ovum, panis: quæ S. Augustinus, serm. XXIX. de verbis Domini exponens, per piscem fidem, per ovum spem, per panem charitatem intelligit. Et sanè hæc tria sunt omnium maxime utilia, maxime necessaria, maximeque secura, quæ petere possimus vel debeamus. Quid enim magis nobis expetendum quam ut imago SS. Trinitatis, quæ per peccatum in nobis obsoleta et propemodum destructa est, reparetur? Factus est homo ad imaginem deitatis secundum animam mente et ratione præditam: nec non ad imaginem totius Trinitatis, uti colligit August. I. XII. de Trinit. ex eo quod dicitur: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*. Habet ergo, ut idem annotavit, etiam mens nostra suam Trinitatem: habet intellectum, qui representat Patrem; memoriam, quæ Filium; voluntatem, quæ Spiritum s. Et hæc quidem in statu innocentis suam perfectionem habebant accuratam, virtutibus theologicis, moralibus et justitia originali instructam. Ibi rationi nihil deerat ad discernendum inter bonum et malum: memoria sine impedimento semper versari poterat in recolenda Dei sapientia, bonitate, potentia, etc. voluntati nihil obstabat, quominus per charitatem Deo adherere posset. Cæterum post infelicem nostrum casum, ratio cæcutire et palpare in tenebris, noxia pro salutaribus amplecti: memoria hebescere et quidvis aliud potius quam cælestia retinere: voluntas terrena solum appetere et vanitates sectari; nauseare vero cælestia. Unde homo misere deformatus et in belluam quasi mutatus est. Quod igitur huic malo remedium? Tres

illæ theologicæ virtutes, mentem nostram iterum ad Deum finem ultimum recte ordinantes et quantum fieri potest ac sufficit, imaginem Dei in ea deformatam restaurantes. Fides illuminat rationem seu intellectum; spes erigit memoriam, ut in desiderio cælestium rerum sedulo versetur; charitas accendit voluntatem, ut jam facile, hilariter et expedite bonum operetur, atque ita per has virtutes imago illa restituitur nobis.

Secundo, tres istæ virtutes sunt nobis maxime necessariae, ut uniamur fini nostro supernaturali, Deo. Primo enim, scire debemus et cognoscere finem alioquin non possemus appetere; quia non potes collimare in scopum quem non vides, et ignoti nulla cupido: secundo, debemus posse assequi finem: tertio, debemus velle uniri illi. Primum habemus per fidem, secundum per spem, tertium per charitatem; fides enim illuminat intellectum circa finem ultimum, spes animat ad obtinendum, charitas impellit ut comprehendas. Denique, maxime secura sunt, quia iis male uti non possumus.

I. Petendus est piscis, id est, fides. Unde Aug. ubi sup. ait: «Dixit quidam sanctus, et nos dicere delectat: piscis bonus pia est fides. Vivit in fluctibus nec frangitur aut solvitur fluctibus: vivit inter tentationes tempestatesque hujus sæculi pia fides, sævit mundus, et integra est.» Hæc ille. Et præterea uti piscis sub aqua est, et tamen videt, licet obscure, quæ extra aquam sunt, ita fides subobscurè quasi per aquas videt Deum et cælestia. Cæterum sine illa prorsus nihil videmus, sed in tenebris ambulamus, et creaturas pro Deo amplectimur. Ita olim gentiles Deum undique quærentes, modo hunc, modo illum pro Deo amplectabantur, turpiter errantes, indeque ut apostolus, ad Rom. I. ait: *Mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis volucrum et quadrupedum et serpentum*. Immolaverunt dæmoniis proprios filios et seipsos denique. Quod ipsum patet in hæreticis nostri temporis, qui per hæresin in Cimerias tenebras devoluti sunt. Igitur ut columna ignis illuminabat Israelitas in deserto, ne per noctem exerrarent, stella magos duxit, sine quibus illi ad terram promissam, hi ad Christum non venissent; ita nos illuminat fides, sine cujus lumine in tenebris ambularemur, et in mille errores ac præcipitia laberemur. Hoc autem lumen qua ratione putatis obtineri debere? Num sola prædicatione et miraculis? At nonne plurimi ipsum Dei Filium concionantem et mira facientem viderunt? Et tamen de eis dicit Joannes, cap. XII. *Cum autem tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum*. Quid sanctius, quid sapientius, quid mirabilius Christo? Experientia

etiam testatur in vicinis hæreticis, prædicationes, disputationes, exhortationes, licet respondere nihil queant, parum aut nihil eos movere. Unde, nisi quia fides est donum Dei? ad Phil. I. et Eph. II. et idcirco oratione quæri debet: Audierat haud dubie Paulus ante conversionem, si non alios, saltem B. Stephanum prædicantem, et quidem ita: *Ut nemo posset resistere sapientiæ et Spiritui qui in eo loquebatur: viderat signa et prodigia facientem: nihilominus spirans minarum, fidem nostram extreme impugnabat; at postquam cælesti luce perfusus, et Damascus ductus orare incepit, statim in visu vidit Ananiam introeuntem et imponentem sibi manus ut visum reciperet; quia dicebat ad Ananiam Dominus: Ecce enim orat, Factumque ut ingrediente ad eum Anania statim caderent quasi squamæ ab oculis ejus et visum reciperet, Act. IX. Oremus igitur et sedulo quidem cum cæco illo: Domine ut videam.*

Deinde, licet fidem habeamus, adhuc semper orandum, ut conservemus; quia multi doctissimi naufragaverunt in fide, Tertullianus, Origenes, etc. et si tanta eorum doctrina non potuit eos in fide retinere, quis non videt, semper cui-vis orandum, ut ne fidem perdat.

Orandum quoque ut ea firma minimeque imbecilla sit, Audimus enim S. Athanasium, in symbolo dicentem: *Quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, absque luctu in æternum peribit*. Dicamus ergo cum discipulis Christi: *Domine, adauge nobis fidem*, Luc. XVII. et cum patre illo: *Credo, Domine, adjuva incredulitatem meam*, Marc. IX. Unde enim quæso nostra omnis tepiditas, negligentia, delinquendi pronitas, nisi quia non firmiter credimus Deum scire, et videre actus nostros, et redditurum unicuique juxta opera sua, aliaque fidei dogmata.

II. Ovum, id est, spes. Spes enim, ut ait loco cit. S. Aug. *nondum pervenit, ad rem, et ovum est aliquid, sed nondum est pullus: et paulo infra: Ovum est, nondum pullus est, et testudine tectum est, non videtur, quia operitur; cum patientia expectetur, etc.* Itaque ex spe prodibit res, uti pullus ex ovo. Et hæc adeo etiam necessaria est, ut sine spe mercedis æternæ nemo bonum operaretur. Neque enim semina committeret agricola terræ, nisi messem speraret; nec mercator pecuniam suam fortunæ et negotiationis periculo, nisi lucrum, nec miles vitam exponeret belli discriminibus, nisi prædam speraret, et promotionem ac stipendium. Canis etiam videns leporem assequi se non posse, desinit a cursu. Sine hac nos quoque deficeremus, et animum desponderemus impeditentes, et desperati viveremus ac moreremur. Propterea apostolus, ad Hebr. VI. compara-

spem anchoræ; quia ut naves procellis jactatæ terram matrem suam mediante anchora quasi brachio amplectuntur, sicque fluctus contemnant, a quibus alioquin haurirentur; ita et animæ navicula, anchoram spei suæ in cœlo, unde oriunda est, firmat, ne a fluctibus tentationum et tribulationum hujus mundi abripiatur et mergatur: sine qua tandem periret. Sed qua ratione potissimum obtinebimus hanc anchoram? Num solis exhortationibus et concionibus? At qui eæ solæ non sufficiunt. Etenim Cainum animabat Deus ad spem, et dum posuit in eo signum ne interficeretur, reflectere voluit errantem, ut ait S. Ambrosius, et invitare ad correctionem; et tamen ille desperatus mansit. Similiter et Judas qui tantam Christi magistri sui benevolentiam et clementiam noverat, qua peccatores omnes reciperet, quaque in ipsa traditione amicus ab eo salutatus est, nihilominus tamen desperavit, nec tanta magistri suavitate retentus est. Quod etiamnum sæpe fit; prædicamus ejus confirmationem sub juramento propositam, prædicamus ejus subscriptionem sanguine proprio factam, sacramenta facilia, evangelium, gratiam, Jesum Salvatorem, meritaque Christi infinita; et his omnibus tamen necdum retinentur aliqui, ne desperent, et sibi ipsis vim ac mortem inferant, vel saltem ut pœnitentiam amplectantur.

Ratio vero est, quia hominem imbecillum, morti expositum, ex materia concretum, brutarum animantium in hac vita socium, omnibus miseriæ telis obnoxium de terra sumptum, cujus pondere prohibetur alta petere, sponte autem ad infima ruit, talem, inquam, hominem in cœlum evehi et cœlestium bonorum participem fieri, summoque bono, Deo beatissime perfrui, res est omni virtute et potentia naturali superior prorsusque admirabilis. Unde divino illo spei supernaturalis dono indigemus, quo excitemur ad certandum pro cœlesti mercede. Quare orandus sedulo Deus ut hoc donum nobis impertiat, et ut spei cooperemur.

III. Panis charitatis: ut enim cibi alii pane, ita opera bona charitate condienda sunt, et sine ea non sapiunt. *Intelligitur panis charitas*, ait August. l. II. quæst. evang. cap. XXII. *propter majorem appetitum et tam necessarium, ut sine illa cætera nihil sint, sicut sine pane mensa est inops.* Deinde, sicut pani opponitur lapis in evangelio hodierno, ita dicitur charitati, ut ait Aug. ubi sup. Unde patet virtutis hujus necessitas: nisi enim opera bona condiantur charitate, nihil merentur apud Deum. In cujus rei figuram, quidquid in templo Salomonis consecratum erat, vel aurum vel deauratum esse debebat, III. Reg. VI. Id ipsum significabat, quod licet virgines fa-

tuæ lampadem fidei, et lychnum spei haberent, quia tamen oleum charitatis non habebant, admissæ non sunt ad nuptias. Unde apostolus, 1. Cor. XIII. ait: *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Unde sic aliquis hic quatumvis dives et in omnibus abundans et excellens, si charitatem non habet, pauper est et nudus: contra qui charitatem habet, omnibus abundat. Taceo quod etiam sine hac nimis difficilia et insipida sunt nobis opera bona. Quomodo igitur acquirenda? Sane perdifficile est Deum, quem non videmus, diligere super omnia, præsertim cum amore proprio nos ipsos naturaliter maxime diligamus, et res creatas quas videmus. Præterea charitas vestis adeo pretiosa est, ut non nisi divinis manibus fieri queat, quia: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum*, Rom. V. tametsi eam quidem libero arbitrio cooperante induimus; (non quemadmodum lignum vestitur, quod non juvat ad sui vestitionem).

Non parva etiam difficultas in conservanda charitate: quia: *Qui stat, videat ne cadat*, ait apostolus, 1. Cor. X. Ipsa est tenella plantula et peregrina, e paradiso in hortum animæ nostræ transplantata; unde etiam magni sancti aliqui e charitate exciderunt, uti David, Petrus, Thomas, etc.

Quid superest igitur nisi ut e cœlo hunc cœlestem mendicemus panem, vestem, florem?

Ita enim Samaritana illa cum audivit Christum possidere mirandam aquam, quæ in vitam æternam salit, et sitim in perpetuum extinguit, statim eam petiit: *Domine, da mihi hanc aquam, ut non sitiam neque veniam haurire.* Quinetiam non difficile obtinuit, cum relicta hydria in civitatem ecurreret, et Christum annuntiavit, atque in eum credidit, Joann. IV. Hanc ergo, auditores, hanc nos imitemur et dicamus: *Domine, da mihi piscem fidei, da mihi ovum spei, da mihi panem charitatis, da mihi aquam illam, quæ omnem extinguit sitim, et salit in vitam æternam.*

CONCIO III.

QUAM UTILITER CONJUNGANTUR ORATIO, JEJUNIUM, ELEEMOSYNA.

I. Faciunt ad expugnandum dæmonem. — II. Faciunt ad satisfaciendum pro peccatis. — III. Faciunt ad impetrandum. — IV. Faciunt ad promerendum beatitudinem.

THEMA.

Amice, commoda mihi tres panes. Luc. XI. *Novimus juniorem illum Tobiam nimium*

quantum consternatum fuisse, quando e Tigri piscis prodit quasi devoraturus eum, Tob. VI. Qui tamen instructore angelo cognovit paulo post, quàm salutaris ille piscis foret. Etenim cor, fel, et jecur magnis visibus fuerunt ad extricandum dæmonem, et visum patri restituendum. Mystico sensu piscis iste satisfactio est, quæ quidem multos homines præcipue hæreticos nostros truci intuetur vultu, quasi devoratura illos. Sed tamen interim perquam salutaris est, et complectitur tria opera ad varios usus præstantissima: orationem scilicet, jejunium et eleemosynam. Oratio significatur per cor; per fel, quod gustum affligit, jejunium; per hepar, quod sanguinem in membra corporis pro cujusque exigentia distribuit, eleemosyna. Quod quidem ipsemet Raphael angelus videtur indicare, cum discessurus a Tobia dixit: *Bona est oratio cum jejunio et eleemosyna, magis quam thesauros auri recondere*, Tob. XII. Scio bona esse hæc opera, vel seorsim præstita: sed cur simul juncta meliora adhuc videntur, quod indicat hic angelus? Resp. ad hoc: audite.

Cum eam sententiam protulit angelus subjunctim immediate: *Quoniam eleemosyna a morte liberat, et ipsa est quæ purgat peccata, et facit invenire misericordiam et vitam æternam.* Quod si sola præstat, multo magis cum oratione et jejunio. Ergo ad quatuor hos fines admodum salutare est hoc electuarium, quod fit ex oratione, jejunio et eleemosyna.

I. Juvat valde ad expugnandum dæmonem ac peccatum et sic liberat a morte. Primo, tres enim sunt diaboli catenæ concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, et superbia vitæ, 1. Joan. II. Prima rumpitur per jejunium, secunda per eleemosynam, tertia per orationem. Concupiscentia carnis partim gula, partim luxuria est, cui opportune occurritur per jejunium, quod restringit gulam et atterit atque enervat carnem. Concupiscentia oculorum est avaritia, cui occurritur per eleemosynam; illa enim congregat, hæc dispergit. Superbia melius non emendatur quam per orationem, qua propriæ miseriæ Deo repræsentantur, et divina misericordia egentibus imploratur.

Secundo, quia tria maxime arma defendunt militem: gladius, æneus thorax, et scutum. Gladius est oratio, thorax jejunium, unde dicitur Psalm. LXVIII. *Operui in jejunio animam meam.* Ex quo infert S. Ambrosius, in lib. de Elia et jejunio, cap. IV. *Gula ergo, ait, nudos facit, jejunia operiunt et exutos. Bonum operimentum quod animam tegit, ne a tentatore deprehendatur, nè a tentatore nudetur.* Non habet accessum dæmon ad jejunum hominem. Scutum est eleemosyna, quod hostium ictus in se recipit, et nos salvat.

Unde Eccles. XXIX. de ea dicitur: *Super scutum potentis, et super lanceam adversus inimicum tuum pugnabit.* Exemplum de Zenone imp. refert Joannes Moschus, in prato spirituali, c. CLXXV. qui mulierem quamdam in filia ipsius injuriose tractaverat. Hæc autem in templo Dei Genitricis orabat cum lacrymis dicens: *Vindica me de Zenone imperatore.* Cum ergo multis diebus hoc faceret, apparuit ei S. Dei Genitrix dicens: *Crede mihi, mulier, ultionem tuam sæpe facere volui, sed manus ejus prohibet me.* Erat enim valde misericors et liberalis in pauperes.

Tertio, quia: *Si oratio eleemosynæ associetur, inquit Franciscus Georgius, tom. VI. sect. IX. problem. CDXVII. super locum illum Tobia XII. Opera charitatis Deo gratissimo conjungitur et si jejunium addatur, quanto magis animalis homo per ipsum debilitatur, tanto magis spiritualis roboratur.* Ergo orans per jejunium roboratur ad pugnam, per eleemosynam vero auxiliatorem acquirit fortissimum.

II. Juvat vehementer ad satisfaciendum pro peccatis, et sic purgat peccata. Primo, namque ideo Dei debitor es, quia inordinate te habuisti erga Deum, erga teipsum, erga proximum. Modo per orationem ordinas mentem ad Deum, per jejunium ad teipsum, per eleemosynam ad proximum. Reddis igitur quod debes unicuique debitori: et sic iterum rectas facis vias tuas. Debes Deo subjectionem, proximo dilectionem, tibi disciplinam. Lignum incurvatum flecti in contrariam partem debet, ut rectam acquirat figuram.

Secundo, quia in tribus maxime offendimus: in bonis animi, corporis, fortunæ. Decet igitur, ut in iisdem puniamur, et arma quibus Deo, nobis, et proximo nocuimus, abjiciamus. Jam per orationem humilias Deo animam et subjicis ejus voluntati, abjicisque tuam: per jejunium privas te commodis corporis: per eleemosynam bonis fortunæ.

Tertio, quia cum satisfactio etiam medicina peccatorum esse debeat, omnis autem peccatorum radix sit vel concupiscentia carnis, vel concupiscentia oculorum, vel superbia vitæ, 1. Joan. II. ideo hoc emplastrum merito adhibetur sanandis animæ vulneribus. Per orationem namque obviatur superbiam, per jejunium concupiscentiæ carnis, per eleemosynam concupiscentiæ oculorum. Atque ita per hæc etiam radices peccatorum evelluntur. Pœnitentia quidem peccata velut falce gramina demetuntur, sed non radicitus tolluntur; manent contracti habitus mali, qui facile repullulant. Hos evellunt opera illa sedulo repetita.

III. Juvat ad impetrandum, quod a Deo petitur, et sic facit invenire misericordiam. Primo,

quia hoc pacto oratio fit commiseratione et exauditione dignior. Mendici non solum conceptis verbis ferventissime orant, sed etiam vulnera sua et defectus corporis ostendunt, centones item et laceras induunt vestes, ut omni quo possunt modo, necessitatem, miseriam et paupertatem suam depromant, hominesque ad commiserationem moveant. Nihilominus præstant apud Deum oratio, jejunium, eleemosyna. Nam oratio apud Deum clamat; jejunium corporis maciem et imbecillitatem Deo repræsentat, unde Dominus dixit: *Misereor super turbam, quia ecce jam triduo me sustinent, nec habent quod manducent: et si dimisero eos jejunos, deficiet in via; eleemosyna paupertatem monstrat, præsertim si quis ea, quæ sibi erant necessaria, pauperioribus largitur.*

Itaque omnia hæc tria orant, et clamant ad Deum: sicut preces, vulnera, et centones mendici clamant ad omnes homines. Oratio quidem expresse, jejunium tacite, uti jejunium Achab, III. Reg. XXI. jejunium item pecorum in Ninive, Jonæ III. eleemosyna per pauperem, Ecclesiast. XXIX. *Conclude eleemosynam in sinu pauperis, et hæc pro te exorabit.*

Secundo, quia sic oratio fit efficacior. Nam per hæc tria offers Deo holocaustum acceptissimum, omnia videlicet tua. Per orationem sacrificas illi spiritum tuum, tradens ei cor tuum, subtrahendo tibi ea, quæ delectabilia sunt hujus mundi. Per eleemosynam offers ei facultates tuas (quod enim uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis, ait), dum earum commodis te spoliast. Unde potes allegare eum apostolis: *Ecce nos reliquimus omnia.* Quis autem dubitat Deum hoc munus largissime renumerari? *Quis enim prior dedit illi? Et retribuetur ei,* ait apostolus. Non dubium quin gratissima fuerint Christo munera magorum, aurum, thus et myrrha, eaque quam largissime ab ipso compensata sint. Atque eadem illa offert; et quidem modo præstantiori, qui tria illa offert; nam thus orationem, aurum eleemosynam, myrrha jejunium carni amarum denotat.

Tertio, quia sic oratio fit ferventior et attentior. Nam imprimis repletio cibi nimia gravat mentem, ut ad Deum se erigere, et de ipso cogitare possit, somnum etiam et torporem inducit; divitiæ vero varias ingerunt curas et distractiones orantibus. Ergo jejunium et eleemosyna tollunt magna saltém ex parte hæc obstacula. Tunc bene oras, quando jejunas; tunc bene jejunas, cum ea, quæ tibi subtrahis, pauperibus elargiris. Unde bene Franciscus Georgius, loco cit. « Cum oratio sit elevatio mentis in Deum, tanto magis mens ipsa elevatur, quanto orans a gravaminibus expeditior existit. Duo enim sunt

gravamina, quæ mortales valde deprimunt, oblectamentum carnis videlicet et terrenorum affectus. Illud autem gravanti corpori animam subjicit, et his sæcibus terræ ipsam animam suffocat. Hinc ab utroque expeditus homo facilius ad Deum mente conscendit. » Hæc sunt duæ alæ, quibus oratio ad cælum evolat.

IV. Juvat summopere ad promerendam vitam æternam, et sic facit invenire vitam æternam. Primo, quia datis illis tribus damus omnia nostra pro pretiosa illa margarita, juxta monitum Christi. Damus animam per orationem, corpus per jejunium, bonam externam per eleemosynam.

Secundo, quia sic eam obtinemus omnibus titulis; titulo misericordiæ, per orationem, qua mendicamus eam; titulo justitiæ et mercedis, per jejunium, qua fodimus carnem nostram; titulo amicitiae, per eleemosynam, qua facimus nobis amicos, qui recipiant nos ad æterna tabernacula. Quod si villicus iniquitatis gratiam invenit per eleemosynam, qui tamen mendicare erubuit, et fodere non valuit, quanto magis nos inveniemus gratiam apud Deum, si simul omnia præstemus?

Denique, quia per hæc tria opera excellens illa sanctitas obtinetur, quam Michæas commendavit, c. VI. dicens: *Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum, et quid Dominus requirat a te, utique facere judicium, et diligere misericordiam, et sollicitum ambulare cum Deo tuo.* Primum fit per jejunium, cum per id delicta punis; alterum per eleemosynam; tertium per orationem sedulam, attentam et devotam. Quanto ergo melius est, operibus his vacare, quam thesauros auri recondere, uti dixit Raphael.

Atque hi sunt tres illi panes mystici, quos in hodierno evangelio petit a nobis Christus sibi commodari. Videte ne vel unum ei denegatis. Quid enim si jejunium observetis, et eleemosynas elargiamini, nunquam vero oretis? Vel si oretis et jejunetis, non tamen eleemosynas faciat? Vel oretis, et liberales sitis, jejunia tamen ab Ecclesia præscripta violetis? Nonne unumquodque horum vos condemnabit in illo die? Quid vobis prodest, multo labore abrumpere duas diaboli catenas, et in tertia adhuc hære?

Porro si unquam alias occasio est exercendi tria ista opera, hoc triduo est, ubi supplicationes fiunt, ubi abstinencia ex veterum consuetudine merito observatur, (tametsi non ex præcepto) ubi plurimi confluunt pauperes ad exigendam eleemosynam.

Denique, scire debemus, mutuo tantum a nobis peti panes istos. Reddet enim illos Dominus suo tempore cum fœnore.

CONCIO IV.

CUR DIFFERAT SÆPE DEUS AUDIRE ORATIONES.

- I. Ut agnoscamus nostram miseriam. — II. Ut agnoscamus Dei dona. — III. Ut rectius petamus. — IV. Ut melius probemus. — V. Ut excitet in nobis majorem fervorem. — VI. Ut probet nostram fidem et patientiam. — VII. Ut nos secum loquentes diutius retineat. — VIII. Ut talione nos puniat.

THEMA.

Noli mihi molestus esse, jam ostium clausum est.
Luc. XI.

Quanto felicior fuit iste homo, qui in hodierno evangelio amici fores pulsavit, fatuus illis virginibus? Venerunt illæ nocte media ad clausam sponsi januam, et licet pulsibus instarent ac vocibus: *Domine, Domine aperi nobis,* non tamen sunt audite nec ad nuptias intromissæ. Venit etiam media nocte pauper hodierni evangelii ad amicum suum, (et quis ille nisi Christus) clauso jam domus ostio: dum tamen instat precibus, fores reserantur, et obtinet quidquid petit. Nimis magna differentia est inter hoc et alterum sæculum. In hoc enim Christum habemus amicum et quidem integerrimum, qui si ad illum humiliter accedamus, et serio precemur, nunquam nos excludit, licet media veniamus peccatorum nostrorum nocte, licet ipse ostium suum clausum, et a gratia sua nos excluderit atque adeo abjecerit, si tamen pulsare perseveremus, reserabit tandem nobis ostium misericordiæ divinæ, quia ipse ostii hujus janitor, imò ipsum ostium: nam: *Ego sum ostium,* inquit, *per me si quis introierit, salvabitur,* Joan. X. Sed non ita erit in altero sæculo, quia tunc velut sponso in die nuptiarum occupato non vacabit amplius ad ostium sedere, et extraneis aperire. Deo igitur gratias, quod adhuc eo loco et statu sumus, ubi Christum amicum habemus, ad fores misericordiæ peccatores prætolantem. Sed dicat mihi aliquis: Cur adeo extollis Christi amicitiam et liberalitatem? Nonne pauperem illum durius accepit, tametsi ad extremum audivit? Nonne diu foris stare et sæpius pulsare permisit? Nonne etiam repulit cum dixit: *« Noli mihi molestus esse; jam ostium clausum, et pueri mei mecum sunt in cubili, non possum surgere et dare tibi? »* Ad hæc quamdiu ego infirmitate aliisque afflictionibus detineor? Et cum perpetuo pulsem et orem, non auditus sum hucusquæ, sed et durius quandoque tractatus, atque ut mihi videtur, exclusus et repulsus. Quomodo ergo in hoc sæculo magnus noster amicus Christus? Quomodo janitor et ostium misericordiæ divinæ? Sed bono animo esto: surget tandem et aperiet Christus,

quemadmodum amicus fecit pauperi in hodierno evangelio. Quod autem non statim surgat et tibi aperiat, non una tantum causa est.

I. Ut manifestius cognoscamus summam nostram miseriam, quæ nisi a solo Deo sublevari nequeat. Quia enim superbum hominum genus non vult agnoscere suam miseriam et paupertatem, idcirco permittit nos Deus sæpe ad extrema devenire, ut cognoscamus non esse alium qui possit nos juvare, quam Deum. Ita permisit Deus Hebræos civis Bethulæ ab Holoferne obsideri et ad extremas redigi angustias, ita ut aqua eis nec ad unum quidem diem superesset, Judith. VII. cum illi interim semper precarentur. Et tamen ad extremum, rebus omnibus desperatis, cum jamjam tradere se vellent, Deus succurrit illis per manum Judith. Similiter Susannam permisit devenire in manus seniorum et innoxiam condemnari, licet ipsa interim ad cælum suspiceret et Deum invocaret vindicem: permisit quoque eam duci jam ad mortem, et tum demum excitavit Danielem, qui eam liberavit, Dan. XIII. Sic etiam non statim providit Deus Judæis in deserto de pane, sed expectavit donec absumpta farina Ægypti egerent, et magnis vocibus ad eum clamarent. « Tunc enim (ait Cyrillus, l. III. c. XXXIV. in Joan. super illo loco Exodi) gratissimum solet esse beneficium, quando magno ardore petitur et imminente periculo necessario expectatur; aliter animus hominis beneficii magnitudinem non cognosceret. » Sic Cyrillus.

II. Ut agnoscamus donorum divinorum præstantiam, nec vilipendamus illa et ita ingrati simus. Ita S. August. de verb. Dom. ser. XXVII. « Quod dare vult, differt ut amplius desideres dilatatum, ne vilescat cito datum: » et serm. V. de verb. Dom. « Cum aliquando, inquit, tardius dat, commendat dona, non negat, diu desiderata dulcius obtinentur, cito autem data vilescunt. » Parvi æstimaremus virtutes et cætera dona Dei, si ad primam statim instantiam petentibus darentur. Quis enim magnificaret sapientiam, docile ingenium, eloquentiam, etc. si statim cuivis petenti exhiberentur? Quis magnificaret nobilitatem, si eam imperator cuivis petenti daret? Cum Elisæus petisset ab Elia domino suo: *Obsecro, ut fiat in me duplex spiritus tuus,* respondit Elias: *Rem difficilem postulasti: attamen si videris me quando tollar a te, erit quod petisti: si autem non videris, non erit,* libro IV. Regum, cap. II. Conditionem hanc videtur posuisse Elias, ut Elisæus indivisibiliter ei adhereret, nec a latere ejus discederet, si vellet eam impleri. Unde et Elisæus semper ei adhæsit, idque præsentiens, cum paulo ante sæpius tentasset eum Elias a se dimittere, nunquam adduci potuit Elisæus, sed respondit semper: *Vivit De-*